

saeculis fuissent, ut supra docuimus: duobus tamen ultimis saeculis poenitentiae canonicae in expeditiones adversum infideles ac sacram militiam commutatae sunt.

DISSERTATIO IX.

De Ordinum Ecclesiasticorum numero apud veteres tum Orientis tum Occidentis Ecclesias; & de Orario quid rei esset.

Non est praesentis mei propositi illa discutere quae inter Theologos oppositis partibus & sententiis disputantur, utrum minores ordines sint Sacramenta, necne; utrum ex divina immediate, an ex Ecclesiastica institutione ortum ducant. Apud omnes orthodoxos in confesso est, Episcopatum, Sacerdotium, Diaconatum, esse Sacramenta, non genere, sed specie ab invicem distincta, divinitus instituta. De Subdiaconatu aliique inferioribus adhuc sub iudice lis est. Tonsuram vero negant propemodum omnes esse Sacramentum; nihil esse afferentes quam preparationem, seu dispositionem ad Ordines suscipiendos. Septenarium ordinum Ecclesiasticorum numerum penes Latinas Ecclesias jam inde a primis saeculis invaluisse plane compertum est: Presbyterorum scilicet, sub quibus Episcopi comprehenduntur, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum: hos enim cunctos recenset Clemens Papa discipulus Petri epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini; & Cornelius Pontifex in epist. ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. hist. Eccl. cap. 42. Item Cyprianus Pontifex, in epist. ad Felicem; cujus etiam meminit Damasus Papa. Concilium etiam sub Silvestro can. 3. Item Laodicenum can. 24. & Carthagenense 4. can. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. cui subscribit Augustinus Hipponensis, atque (ut mediorum temporum testificationes fidelem) novissime Concilium Trident. sess. 23. cap. 2.

2. Hypodiaconatum non fuisse olim sacris ordinibus accensitum liquido constat ex cap. nullis in Episcopum, dist. 60. & diserte docet Innocentius III. c. a multis, de atate & qual. ord. Sed cum posterior Ecclesiae constitutio sacris adnumeravit Ordinibus, ea nunc eidem competit dignitas per Ecclesiae institutionem, etsi non jure divino. Numerum septenarium istum astruunt pariter leges civiles, qualis est Valentiniiani, Valentis, & Gratiani; qua tribuitur personalium onerum immunitas disterte Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, & Acolythis, l. Presbyteros 6. C. de Episc. & Cler.

3. An vero iidem omnes Ordines penes Orientis Ecclesias similiter recepti usitatie fuerint, non perinde perspicuum est, ut in Occidentalibus. Acolythorum apud Graecos, etsi vox ipsa Graeca sit, vel nulla mentio, val saltem ambigua, utrum de speciali ordine Ecclesiastico intelligenda, an generalius de quocumque affecta seu comite, id enim Graeca vox significat. Martyr quidem Ignatius in epist. ad Antiochenos, recenset ordines Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Janitorum, Exorcistarum, iidem adjungit Cantores, & laborantes, non tamen Acolythis, ut neque Synodus Antiochena, cujus can. 10. a chorepiscopo ordinari posse asserit Lectores, & Exorcistas, & Hypodiaconos, de Acolythis nihil enunciat; a solis vero Episcopis Presbyteros & Diaconos initiari. Quos vero martyr Ignatius vocat *κατάκλιτος laborantes*, id nomen non ordinis, sed officii erat; quemadmodum & *ψάλτας*, id est Cantores, quos eadem epistola commemorat. Docet enim Epiphanius in compendio, istorum versari officium in fidelium defunctorum cadaveribus sepeliendis, quales pollinctores profana vocabat antiquitas, & quales antiquus auctor libri de septem gradibus Ecclesiae, ad Rusticum Narbonensem, inserit inter opera Hieronymi, vocat fossarios: Synodus Laodicensis can. 24. recenset singillatim Presbyteros, Diaconos, *επιπρεπτας*, id est Ministros (hi sunt Subdiaconi) Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios. Justinianus Imperator, Novella 3. cap. 1. & 2. testatur fuisse in Constantinopolitana Ecclesia Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, & Ostiarios. Sed neque Cantorum, quos Ignatius, Concilium Carthagenense quartum, & Justinianus Augustus commemorant, ullus erat specialis ordo, sed merum officium; cum constet ex Carthagenensi canone, id munus non ab Episcopo, sed a simplici Sacerdote conferri solitum. Synodus quoque Laodicensis can. 23. meminit ordinis Lectorum, si mulque officii Cantorum, & can. 7. *επιπρεπταν* quos ait portarum habere praefecturam. Hoc *επιπρεπτας*, seu subministros nonnulli existimant non alios esse, quam Hypodiaconos, quibus cura januarum navis Ecclesiae in-

cumbebat. Cum vero nonnulli negant esse nunc Graecorum ullos ordines, quam Lectorum: si hoc ita sit, nuperum est; cum ex superius adductis priscorum Graecorum testimoniis, per omnem Graciam viguisse minores Hypodiaconorum, Lectorum, Exorcistarum & Ostiariorum, seu janitorum ordines, liquido constat.

4. Quod vero, apud praefatos canones Laodicenos 22. & 23. solis permittitur Sacerdotibus, & Diaconis orarii gestatio & usus: Hyperetis autem, & Lectoribus prohibetur: sciendum est, Orarii nomine diversa significari; in primis vero sacri ornamentum genus, quod vulgo *stolam* dicunt, & praelongae laciniae formam habet. Vocabulum istud, in hoc ipso significato, Graeci Latiniue suae linguae attribuunt. Balsamon enim Graecus canonum scholiastes, scribens in hunc ipsum Laodicenum can. 22. deducit ejus etymon a verbo *οραω* quod est videre ac observare: quia Diaconus assistens Presbytero celebranti Clericis in pulpito existentibus orarii sui elevatione indicat, & admonet, quoties novus ab ipsis cantus sit exordiens. Est tamen vox illa originis Latinae ab orando; quod orarii usus est in publicis orationum ministeriis. In Graeca Chryostomi Liturgia *οραριον* & *επιπρεπτιον* pro eodem gestamine usurpantur: est enim *πράξιμος collaris* & *επιπρεπτιον collaris*, seu colli amictus: quia orarium collo circumaptatur. Concilium secundum Bracarense, anno Christi 563. sub Joanne tertio Papa collectum, praecipit can. 9. ut Diaconi superposito scapulae orario utantur: quam rem multo pridem Silvester Pontifex constituerat in Romano Concilio cap. 6. Deinde Concilio Toletano quarto Can. 4. constitutum ita legimus, *Orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero propter quod orat sine praedicatione. Dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expediat ad ministerium Sacerdotale discursat. Beda in collectionibus, cap. de septem ordinibus, haec scribit: Bene etiam orationibus convenit orarium, conveniens officio vestimentum.*

5. Alteram Ecclesiasticam Orarii significationem alii comminiscuntur de longa & talari veste; & sane propria & vulgaris est significatio, non orarii quidem, sed stolae tam sacrae, quam profanae. Vocabulum enim stolae, Graecis, Latinisque longe ante Christum usurpatum, non potest ad significationem Ecclesiasticam restringi. Dicitur quoque id genus vestimenti *ποδήμιον* eo quod ad pedes usque dimittitur, Apoc. 1. *similem filio hominis vestitum pedere*. Porro illam orarii pro talari veste significationem vere dixi esse commentitiam: erroris causam dedit perverte intellectus can. 28. Concilii Moguntini: *Presbyteri sine intermissione mutant orarium propter differentiam Sacerdotii dignitatis*. Ibi enim orarium quidam exponunt de talari veste. Sed nunquid talare vestimentum commune pariter erat Diaconis: & tamen canon Moguntinus vult orarii perpetuum gestationem esse differentiam & privilegium Sacerdotis dignitatis. Quo supposito, si diaconi hujusmodi orarium extra publicum officium gestarent, attentatissimi usurpare insignia dignitatis alienae: & tamen clerici minores, nedum Diaconi longis vestibus amicti tenebantur; cum tamen ipsis orarium gestare non liceret extra Ecclesiam & divina officia. Quod tamen jubebat Synodus Moguntinensis a Presbyteris perpetuo deferri, tum ob dignitatis venerationem, tum etiam ut ubique expediti essent ad sacras preces, & Sacramenta etiam in repentinis & inopinatis eventibus ministranda: quam etiam ob causam Synodus Arausiana prima can. 1. iussit Sacerdotibus, aliisque Baptismi ministris, ut indesinenter sacrum Christum secum deferrent. Explodatur ista orarii, pro longa promissaque ad pedes tunica, significatio.

6. Orarium denique, etiam apud profanos Auctores, commune linteum, vultui detegendo destinatum, significat, quod alias sudarium, aut sudarium vocitatur. Fuit etiam consuetudo vetus tam Graecis, quam Latinis, tam in theatris, tum in Ecclesiis, ut in signum applausus & favorabilis acclamationis populus oraria, id est linteos & sudaria sursum jactaret. Refert Flavius Vopiscus in Aureliano, hunc primum oraria populo Romano in theatris & comitiis distribui fecisse, quibus utebantur ad favoris significationem. Narrat Eusebius hist. Eccl. lib. 7. c. 30. de Paulo Samosateni Antiochiae Episcopo & haeresiarcha vanissimo, voluisse, ut sibi in Ecclesia concionanti populus, linteae elevando & jactando, applauderet, perinde ac in theatris: *αὐτὸν δὲ δεύσαν καταπέμψαι τοὺς ἰδιώτας* Ab auditoribus vero non favorem neque plausum expectare solum, sed theatri more oraria sibi moveri affectabat. Pontius Diaconus S. Cypriani Episcopi & martyris discipulus, in historia martyrii ejus refert, a fidelibus linteamina & oraria in loco preparata & deposita fuisse, ut Martyris fluentem cruorem exciperent. Ambrosius, in oratione quam habuit in obitu fratris Satyri, perhibet de ipso, quod cum adhuc catechumenus esset, & navis qua vehebatur immani tem-

tempestate jactaretur, jam proxima naufragio, metuens mysterii vacuum & vita discedere, petiit a convectatoribus qui erant mysteriis initiati divinum Sacramentum, & orario involutum fecit sibi ad collum alligari. Quem de orario locum, mirum est aliquem somniasse sola Liturgia involutum, per ignorantiam illius linteae ac orarii, quod Dominicale vocabatur, quo divinum Sacramentum moris erat excipi. Mysteriis autem initiati, ubi nihil additur, intelligendi sunt duntaxat laici baptizati. Orarium etiam communi usu linteamen proprie ac sudarium, ut probatum est, significat, indiscriminatim in rebus sacris & prophanis.

DISSERTATIO X.

De veterum Ecclesiarum situ, partibus, & structura.

1. Veteres Ecclesiae, illa saltem quae ob amplitudinem & hominum confluentiam frequentiam, Basilicae vocabantur, quatuor constabant partibus: quarum prima, quae ingressuris obvia erat, Graece *προπύλαιον*, Latine vestibulum seu porticus dicebatur, atque pro foribus Ecclesiae structa erat: non tamen sacra consuebatur, etsi sacrae structurae proximae adjaeret. Secunda pars Graece *ναὸς*, Latine *Navis*, seu gremium denominabatur: huc populus ad divina officia conveniebat. Tertia pars aliquot gradibus, supra navim assurgens Graece dicebatur *ἀμβων* deducta voce ab *ἀναβαίνων*, quod est ascendere, Latine vero *Suggestus* nominabatur. Isto ex loco Scripturae sacrae ad populum legebantur, & sermones a concionatoribus habebantur, Episcoporum constitutiones, Imperatorum etiam edicta quandoque promulgabantur, Psalmi etiam solemnitur concinebantur, aliaeque divini Officii partes. Frustra igitur vir quidam doctissimus, chorum ab ambone sejungit: cui refellendo sufficit Laodicenus canon 15. *Προσὶ τὸ μὴ εἶναι τὸν κανονικὸν λαὸν τῶν ἐπὶ τῷ ἀμβωνῷ ἀναβαίνοντων ἢ ἀπὸ διδρακτῶν ψαλλόντων, ἕτεροις τινὲς ψάλλοντες ἐν ἐκκλησίᾳ. Non oportere praeter Canonicos cantores, qui ambonem ascendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia*. Quarta denique pars Ecclesiae Graecis *ἱερατικὸν* nec non *ἀγιαστῆριον* itemque *ἱερὸν βήμα* Latinis *Sanctuarium, Sacrarium, sanctum Altare* dicebatur, eoque loco divina mysteria & sacrificia solemni ritu celebrabantur.

2. Ut autem singillatim quas diximus partes exploremus. Vestibulum ac porticus nihil aliud erat, quam tectum humilioris situs, ab Ecclesia tecto, quod sublimius erat, distinctum, columnis aut arcubus sustentum, qualia videntur ante pleraque Romae Basilicae sacras. Hic locus, cum non esset muris conclusus, ventis & solaribus radiis pervius & apertus erat. Hic assentiri minime possum Scriptori tametsi peritissimo, qui poenitentium secundae classis, hoc est Auditorum stationem in illa porticu collocat; depellitque ab ea primum, hoc est sentium ordinem, quos ad aream sub dio vult omnino ablegatos. In primis enim certum indubitatumque est, Auditores poenitentes fuisse intus Ecclesiam admissos, eorumque stationem ideo dictam audientium fuisse, quia lectiones Scripturarum audiebantur, quae divinum praecedebat Officium; & finitis lectionibus Psalmodiam, deinde Missam catechumenorum dictam, postmodum Evangelii cantum, postremo Evangelicam praedicationem distincte & intelligibiliter audiebant; & post aliquot Sacerdotum preces super istis pronunciatas, foras voce Diaconi dimittebantur. At nihil horum sub porticu fiebat, aut fieri audiri poterat, sed intra Ecclesiae fores ac limina. Praeterea quis nesciat distinctas fuisse a lugentibus Auditorum stationes? At vero innumeris & perspicuis priscorum Patrum testificationibus liquido constat, sentium seu lugentium locum fuisse ad fores Ecclesiae, quarum tamen limen transilire vetabatur. At vero, ut ad metam illam auditores se siterent, transilientia primum eis porticus erat, quippe quae foribus illis obiecta erat: Omnis testibus aliis innumeris audiamus can. 11. Gregorii Neocaesariensis aut si quis sit alius ejus auctor, gravis certe & antiquitate venerandus, ἢ *προσκύλαιος ἐστὶν τὸ πύλαιον τῆς ἐκκλησίας ἐστὶν, στέγος ἔξωθεν ἰανουῶν ὁρατορίου ἐστὶν*. Deinde subjungit, ἢ *ἀρχαῖος ἐνδοθὶ τῆς πύλαις ἐν τῷ ναύῳ, αὐτοῖς ἰντρα πύλαις ἐν τῷ ναύῳ*. Non igitur scilicet portam, ad quam porticus pertinebat, sed inter eamdem, seu intra oratorium in quo decantabantur divina officia, legebantur divinae Scripturae, pronuntiabantur de pulpito ad plebem sermones; quarum omnium rerum auditioni obstructum erat genus poenitentium secundum, hoc est Auditoros. Similiter Basilii ad Amphiloichium can. 56. de voluntario homicida, quem ante omnia stationi stetus per-

quadriennium addicit, sic decernit, ἐν τῷ ὁρατορίῳ ἐστὶν προσκύλαιον ἰσοπέδον ἐξ ὧν τὸ πύλαιον ἐστὶν τὸ ναύῳ. *Debet quatuor annis desistere stans, extra fores oratorii*. Idemque can. 75. de incestuoso qui propria forem vitavit, *τρεῖς ἔτη προσκύλαιον τῷ ναύῳ τῶν δεικνόντων δέ μὴ παρρησίας. Triennio desinat stans ad fores domus oratoria*. Non igitur reum ordinis sententiam amandat porticu extra oratorii valvas ad aream aliquam sub dio, sed stationem ad oratorii valvas assignat, & canonis factis, si prope januam consistat, dum limen oratorii non transiliat. Et vero si poenitentibus istiusmodi orandum sub dio fuisset, periclitandum illis de morte fuisset ingruente imbrium vi, aliavé tempestate.

3. Ingressis Ecclesiae januas primum occurrebatur pars una navis, quae *ναύῳ* dicebatur, eratque poenitentium Auditorum statio. Toto enim caelo aberrarunt, qui Narthecem Auditorum locum ac stationem, exilimarunt esse porticum extra Ecclesiae sanctae ambitum & laquearia fructam, tectoque humiliorum: satis enim superque jam ostensum est, Auditores constitisse intus sacram Ecclesiam, stantesque in ipso vestibulo seu porticu. Sapientius itaque locum Gregorii Neocaesariensis ἐν τῷ ναύῳ Baroniis tom. 2. ad ann. Chr. 263. n. 26. sic exponit, in loco quem Nartheca vocant, seu in ferula: quam vulgaris interpres, qui multis fraudi fuit, dum vertit in porticu. Hujusce vero denominationis causam congruentem nullam video, praeter eam quam tradit Joannes Meurfius in suo Lexico Graecobarbaro: Quia (inquit) ibi poenitentium statio erat sub Ecclesiasticae censura ferula; id enim, id est, *ferulam*, sonat *ναύῳ*. Stentes autem quasi projecti & alieni ab ingressu Ecclesiae manuumque impositione Sacerdotali, non dignabantur nomine filiorum sub ferula constitutorum, iuxta illud Pauli Hebr. 12. *Quod si extra disciplinam estis; ergo adberi, & non filii estis*.

4. Audientes poenitentes loco intus Ecclesiam anteedebat aliorum poenitentium ordo, qui *ἰσοπύλαιος*, id est *substrati* seu prostrati dicebantur. Atque isti simulque audientes una cum catechumenis atque energumenis, ad vocem Diaconi proclamantis: *Excant qui non communicant, de Ecclesia*: ante offertorium discedebant; remanentibus tamen ad usque finem collectae poenitentibus quartae classis, qui Graece *συνεστῆρες* Latine *consistentes* nuncupabantur; eorumque statio ac ordo, *στέγος*, id est, *consistentia* quarti generis poenitentium, qui a tergo populi ad Eucharistiae participationem admissi, exortes tamen erant sacrae communionis. Quae ultima populi versus Sacrarium statio, a Basilio dicitur *μὲδεις*, id est, *participatio*, nimirum communionis.

5. Navim ingressus occurrebatur tabulatum, aut murus intermedius virorum stationem a feminis dirimens, pertingensque a primis Ecclesiae foribus ad usque ambonem & Sanctuarium. Ex utraque parte janua occurrebatur, cujus praefectura incumbere ex parte feminarum ostiariae Diaconissae. Janua vero, quae viris aditum aperiebat, custodia penes ostiarios Clericos erat. In hinc sexuum separationibus ordines utraque ex parte servabantur poenitentium & participantium, a nobis jam commemorati; quibus ex parte feminarum adungebantur sacrae Virgines ad intimam stationem Sanctuario proximiorum: sicut ex parte virorum intima occupabant Monachi, quo tempore proprias Ecclesias non habebant, ut ex Dionysii hierarchia Ecclesiastica & ex Ambrosii ad virginem lapsam epistola colligitur. Per gemina etiam Navis seu gremii latera, in quibusdam Ecclesiis producebantur hinc inde porticus arcubus vel columnis sustentata, intra quas distincta erant facella seu oratoria ad secretius, si luberet, orandum: ut commemorat Paulinus in epistola ad Severum, in quibus altaria erecta erant. Scribit etiam Ambrosius epist. 33. ad virginem Marcellinam forem suam, postquam tumultum graphice descripsit ab Ariana Imperatrice Justina concitatum adversus ipsummet Ambrosium Episcopum, quem plebs Mediolanensis studiose custodiebat intra Basilicam sacram quam Justina furens sancto Episcopo & Orthodoxis eripi, & Arianis tradi, immisisse intra illam armatis contendebat: postquam demum Justinae filius Valentinianus Imperator pacem denunciari, militesque ex Basilica occupata pedes efferre iussit, scribit Ambrosius in illa communi Fidelium letitia *milites ipsos irrumpentes in Altaria osculis significasse pacis indicia*. Igitur non unicum stabat intra ad templum Altare, sed plura hinc inde dispersa. His adde, majus Altare, quod erectum intus Sanctuarium erat, fuisse armatis inaccessum; & cancellis circumclusum, illuc enim alii quibuslibet quam Sacerdotibus, & factis Diaconis accedere nefas erat. Altaria itaque illa, quibus nova pacis denunciazione letantes milites oscula figebant, inferius per circuitum Navis collocata erant & hinc inde dispersa. Magnus praeterea Romae Pontifex Gregor. I. lib. 1. ep. 50. ad Palladium, meminit Ecclesiae cujusdam, quae tredecim Altaria